

ARTICULUS III. — DE ADMINISTRATIONE ET ALIENATIONE BONORUM  
ECCLESIASTICORUM.

615. — Jus canonicum regulas præscripsit quibus regi debeat bona ecclesiastica; lex civilis Galliarum alias edixit quas prætermittere non debemus, quamvis ad jus canonicum minime pertineant.

Ecclesia jus habet res suas administrandi: cum vero, in hoc negotiorum genere quæ, diversa ratione, ad utrumque ordinem spiritualem et temporalem multum referunt, sint necessario frequentes relationes clericorum cum societate civili, concordata aliquando init cum principibus sacerdotalibus, ut communi consensu regulæ sancirentur ad providendum securitati atque regimini bonorum temporalium, modo qui utriusque societatis commodis consuleret, atque noxios conflictus præcaveret. Saepius etiam principes sacerdotalis, propria sponte, multa de eorumdem bonorum acquisitione et administratione statuerunt, in quibus derogari visum est juribus primorum Pastorum.

Quando renovatum est, ineunte hoc saeculo XIX, foedus inter sacerdotium et imperium, gubernium civile spondit se traditurum tempora cultui publico dicata, provisurum honestæ sustentationi Episcoporum et parochorum, et curaturum denique ut catholicis liberum esset consulere Ecclesie per novas fundationes. Ut pacta conventa exsequatur, gubernium tribuit

Const. *Cum illud plurimi*, an. 1847, ut sacra utensilia Episcopi defuncti mitra, planetæ, missalia, calices, etc. Ecclesie cathedrali dentur, « exceptis annulis, crucibus et his omnibus utensilibus quæ legitime probantur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, nec constat Ecclesie fuisse donata. » « Volumus præterea, ait S. Pontifex, teneri Episcopos confidere inventarium in forma authenticâ sacrorum utensilium, in quo, pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota designent quæ ex redditibus et preventibus a sibi compararunt, ne alias presumi debeat ea omnia redditibus Ecclesie fuisse comparata. »

quæ ad cultum publicum, atque ad conservationem instauratemque templorum et ædium pastoralium necessaria sunt: invigilat ut certi redditus assecurentur Ecclesiæ et presbyteris qui publico ministerio funguntur, et quod a parte oblationum fidelium deest, supplendum providet ex denariis municipiorum, vel ex ære publico.

Hæc ratio fuit cur legislator existimaverit certas regulas statuendas de regimine bonorum Ecclesiæ attributorum: ex quibus tamen regulis nonnullæ sunt nimium coartantes libertatem Ecclesiæ, et quæ idcirco nunquam probatae sunt a primis pastorebus, ut infra notabimus. Expedit ut clerici publico ministerio addicti, ediscant quæ super his ordinata sunt, utque rationem habeant harum regularum quas ipsi Episcopi observari mandant; alioquin in periculum incurrent Ecclesias sibi commissas et seipsos destituendi necessariis ad sustentationem; impossibilis ipsis erit recursus ad auctoritatem civilem, et occasio dabitur inextricabilibus difficultatibus<sup>1</sup>.

§ 1. *De administratione bonorum ecclesiasticorum  
ad præscriptum juris canonici.*

Leges canonicae tria præsertim statuunt: 1º quibus competit administratio bonorum; 2º quæ regulæ servari debeant in illa administratione; 3º quid cavendum quando agitur de alienatione, oppigneratione, vel etiam locatione bonorum ecclesiasticorum.

\*616. — Iº Cui generatim competit administratio bonorum Ecclesiæ?

I. Jure naturali administratio boni cuiuscumque in arbitrio est illius qui habet rei dominium aut usumfructum: quam-

<sup>1</sup> Regulas canonicas interpretes juris passim exponunt in commentariis titulorum DE LOCATO ET CONDUCTO, XVIII; DE RERUM PERMUTATIONE, XIX; DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS, XIII, lib. III Decretalium. Scriptores qui jus civile explicare agressi sunt, infra indicabuntur.

obrem, cum sint bona quæ ad Ecclesiam universalem pertinent, alia quæ ad diocesim, alia quæ ad parochiam, etc., sequitur regimen eorumdem adscribi, ipsa natura rerum, S. Pontifici, Episcopo, vel rectori Ecclesiae cui hæc bona acquisita sint, vel demum beneficiariis qui omnes habent suorum beneficiorum usumfructum.

II. Jure divino summum regimen bonorum Ecclesiae, cuiusvis naturæ sint, obnoxium est auctoritati Sanctæ Apostoliceæ Sedis: est præterea in potestate Episcopi, cum debita subjectione erga Sanctam Sedem, ut præsit sua jurisdictione regimini bonorum ecclesiasticorum diocesis. De auctoritate S. Pontificis nulla est agitanda quæstio. Auctoritatem etiam Episcopi extra omnem controversiam reponunt sacri canones. Disciplinam priorum sacerdotum exhibet canon *xli* *Apostolorum*, quem refert Gratianus, Caus. *xii*, q. *i*, cap. *24*. « *Præcipimus ut in potestate sua Episcopus Ecclesiae res habeat. Si enim animæ hominum pretiosiores, illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum Dei timore et sollicitudine ministrentur.* » Concilium Chalcedonense, actione *xv<sup>a</sup>*, canone *xxv*, sic statuit: « *Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere œconomum de proprio clero, qui dispensem res ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi<sup>1</sup>.* » Licet a primæva ætate, gravis immutatio evenerit in regimine bonorum, remansit jurisdictione eminentis Episcopi, non pro arbitrio, sed ad præscriptum canonum exserenda: quamobrem, dum S. Pontifex electis in Episcopos consert institutionem, his verbis jura episcopatu connexa significat: « *Nos curam et administrationem N. Ecclesie in spiritualibus et temporalibus, N. plenarie committimus.* » Ratio est quoad utramque partem assertio-nis, quod cum Ecclesia valeat jure divino comparare dominia bonorum temporalium et ea gerere, eorumdem bonorum regimen

<sup>1</sup> Labbe, *Collect. concil.*, tom. IV, col. 778.

subjacere debet regulis quæ consentaneæ sint divinæ Ecclesiae constitutioni.

III. Jure canonico administratio bonorum ecclesiasticorum committitur titulari Ecclesiae, seu beneficii, cui hæc bona attributa sunt; ita tamen, ut parochi, et rectores quorundam locorum piorum, debeant habere fabricam et uti consilio atque opera matriculariorum<sup>1</sup>, pro variis dioceseon statutis, in gestione temporali sui beneficii (nº 619).

617. — IV. Jure naturali simul et canonico communites religiosæ sua bona administrant, juxta constitutiones et consuetudinem instituti, cum debita dependentia a S. Pontifice et ab Episcopo.

Jure quidem naturali omnis communitas quæ dominium possidet, potest res suas gerere, ex modo dictis: porro, communites religiosæ canonice erectæ, bona sibi donata, vel alio titulo acquisita, habent in proprium dominium, eadem prorsus ratione ac communites sacerulares. « *Hæc potestas administrandi bona temporalia, ait Suarez, nec est jurisdictionis, nec per se illam requirit, sed est potestas dominativa. Ergo talis potestas respectu communitatis religiosæ, per se et ex natura rei, ac secluso jure positivo, non pendet a concessione pontificis, vel alterius prælati ecclesiastici, sed ex voluntate eorum qui in tali communitate sociantur.* » (Lib. II, cap. *xxvi*, nº 2.) Standardum est igitur regulis instituti, quæ ad superiorem, adhibitis nonnullis e congregatione in concilium, transferunt curam regiminis bonorum temporalium.

Facultas jure concessa administrandi bona ecclesiastica, est subordinata summae jurisdictioni Pontificis Romani, qui eam regulis canonicis restringere et moderari valet. Quod ad Epi-

<sup>1</sup> Administratores adjuncti titulari beneficii, ad gestionem bonorum temporalium, *Matricularii* nuncupantur, quia matriculares tabulas Ecclesiae in quibus pauperes inscripti erant, deposito custodiebant; dicti sunt etiam *Æditui*, id est sacrorum ædium tutores, *Provisores Ecclesiarum*, etc.

scopum attinet, ratio habenda est conditionis ac privilegiorum communitatis, an sit exempta a jurisdictione episcopali, an non. Episcopus non potest se ingerere in administrationem temporalem communitatis regularium exemptorum; si vero de conventibus monialium agitur, hæc statuit Gregorius XV, Const. *Inscrutabili*, an. 1622: « Administrantes bona ad monasteria sanctimonialium, etiam regularibus subjectarum, pertinentia sive regulares extiterint, sive sacerulares quomodolibet exempti, Episcopo loci, exhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remedii cogi et compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere ut ejusmodi... administratores amoveant: iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos... administratores amo- vendi, quoties et quando judicaverit. »

Si communitas monialium superioribus regularibus subjectarum teneatur rationem administrationis reddere Episcopo, a fortiori id observare tenetur communitas quæ non fuit exempta a jurisdictione episcopali. Non solum rationem reddere debet gestionis suorum bonorum, sed nihil insuper in negotiis majoris momenti aggredi absque illius prævio consensu, si Episcopus ita statuerit. Cæterum æquitas naturalis exposcit ut non coarctetur libertas communitatis in rebus levioribus, quæ ad œconomiam directionem conventus referuntur.

De communitatibus non exemptis virorum non agimus, quia nihil statutum fuit jure communi ea de re. Episcoporum mos non est ut se ingerant in administrationem temporalem hujusmodi communitatum, nisi forte sint abusus auctoritate episcopali coercendi.

\* 618. — II<sup>o</sup> Quid agere debeant administratores bonorum temporalium Ecclesiae?

Administratio complectitur actus necessarios ad conservationem bonorum, curam providendi, ex redditibus eorumdem

bonorum, decentia cultus publici, nec non aliis oneribus proportione instituti, et locationes quæ non excedant tempus jure præfinitum. Quapropter rectores ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum, tenentur 1<sup>o</sup> Confidere recensionem omnium bonorum tam mobilium quam immobilium, quæ ad suum titulum pertinent; 2<sup>o</sup> providere ut cuneta sarta tectaque serventur, adeo ut in melius proficiant, potius quam detrimentum patiantur; 3<sup>o</sup> impendere redditus in usus ad quos fundatione, vel statuto, destinantur.

\* 619. Fabricæ institutæ sunt ut juvent parochos in administratione temporali parochiæ, atque efficacius provideatur bonorum conservationi et regimini: constituta etiam fuerunt pro administratione locorum piorum, hospitalium nempe, xenodochiorum, montium pietatis, etc...

Quæ fuerit origo prima fabricarum, non satis perspectum habemus; id tamen certo constat non repetendam fore ultra sæculum XIII, nulla siquidem apparent vestigia in temporibus antiquioribus. Primum decretum generale quod ea in re novirimus est Concilii Viennensis, anno 1510, et statuit de hospitalibus et aliis locis piis. Ad præcavendos graves abusus quos induxerat negligentia nonnulorum rectorum xenodochiorum, prohibet ne ullus ex his locis conferatur in beneficium clericis secularibus, ac simul præcipit ut eorumdem locorum gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, velint, et valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter gerere, et eorum proventus et redditus in personarum miserabilium usum fideliter dispensare... Illi quibus dictorum locorum administratio committetur, ad instar tutorum et curatorum, juramentum præstare ac de bonis inventaria conficeret et ordinari, seu aliis quibus hæc loca subsunt, annis singulis de administratione sua teneantur rationem reddere. » (Cap. *Quia contingit*, 2; DE RELIGIOSIS DOMIBUS, Clement.) Plura concilia provincialia, præsertim concilium Parisiense, anno 1346, et alterum Parisiense anno 1528, hæc decreta

concilii generalis Viennensis accurate observari mandaverunt<sup>1</sup>.

Quod ad parochias attinet, iisdem ferme temporibus, et ob easdem probabiliter rationes, invaluit usus ut præter parochum alii ex viris laicis admitterentur in administrationem bonorum temporalium, sub titulo *Matriculariorum*, aliave appellatione. Id manifeste indicat statutum concilii Parisiensis an. 1546 quod mox citavimus, dum caveri jubet ut debita et legata Ecclesiæ tributa « in quadam area in Ecclesia deponantur, cujus arcæ « unam clavem habeant decanus christianitatis, Archipresbyter, « vel sacerdos, et aliam matricularii, seu provisores. » Paulatim vero institutum illud a suo fine deflecti videbatur; siquidem in pluribus locis laici sibi solis reservare præsumebant curam rerum temporalium; quamobrem ne in futurum aliquid detrimenti exinde inferretur auctoritati parochorum et Episcoporum, tria haec ordinata sunt a quibusdam conciliis provincialibus, scilicet ut matricularii eligerentur de consensu parochi, aut saltem juxta regulas auctoritate ecclesiastica probatas, ut simul cum parocho rebus temporalibus providerent, ut rationem suæ administrationis redderent Ordinario. « Statuimus, aiunt patres « concilii Frisigensis (in Bavaria, an. 1440), quod in qualibet « parochia plebanus, assumptis sibi duobus honestioribus sub- « ditis suis, quorum quilibet habeat clavem unam, et ipse ter- « tiam, omnia quæ devotione fidelium ad fabricam Ecclesiæ, « luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter « colligat et conservet, et his usibus impendat ad quos sunt « deputata. Volumus etiam quod nec tales sibi adjuncti, nec « alii procuratores Ecclesiarum qualescumque, de rebus Eccle- « siae præter scitum plebani quidquam disponant. » Conc. Moguntinum, an. 1549: « Decernimus et ordinamus ne post hac « solis laicis, sed cum aliquot laicis cujusque Ecclesiæ, rectori, « seu plebano, veluti principali, officium fabricæ, seu procuratio « Ecclesiæ committatur; ita tamen ne ipsi Ecclesiarum rectores,

<sup>1</sup> Labbe, tom. XI, col. 1915; tom. XIV, col. 476.

« seu plebani officio exactionis censuum, proventuum, seu red- « dituum, sive procurationis labore graventur. Tales etiam « procuratores... de omnibus acceptis et expensis debito tem- « pore, ad minimum semel in anno, coram ipso plebano, seu « rectore Ecclesiæ, et aliis ad hoc deputatis, rationem con- « ficiant. Volumus etiam ad singulas Ecclesiarum cistas in « quibus litteræ censuum, seu pecuniae, et pretiosiores Ecclesia- « rum res, asservantur, diversas seras, et ad minimum duas « fieri, et ex clavibus semper unam apud parochum seu rectorem « relinquiri et custodiri; sic ut tales cistæ non ab uno aliquo « procuratore, nec unquam absente parocho, possint aut debeat « aperiri<sup>1</sup>. »

Concilium Tridentinum nihil statuit de necessitate insti-  
tuendi fabricas, nec de modo eligendi illarum procuratores, sed  
haec maximi momenti indixit: « Administratores tam ecclesias-  
tici quam laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, hospitalis, confra-  
ternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, et quorumcumque  
locorum piorum, singulis annis teneantur reddere rationem  
administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis  
quibuscumque in contrarium sublati. » (Sess. xxii, cap. ix.)

Quid observetur pro regimine temporali parochiarum, in  
statu praesenti Galliæ, et quatenus praxis ac legislatio civilis  
consentiant regulis canonicis, aut ab illis dissentiant, infra dicemus. Quod ad hospitalia et alia loca pia attinet, distinctione  
opus inter ea quæ fuerunt ecclesiastica auctoritate constituta, et  
alia quæ sunt mere laicalia. Priora loca subsunt jurisdictioni  
Episcopi, qui valet providere illorum regimini. Cætera loca  
non subjiciuntur Episcopo, qui tamen ex decreto Tridentino  
potest illa visitare, exceptis solum quæ sunt sub regum  
immediata protectione, atque de iis omnibus cognoscere quæ  
ad Dei cultum, ant animarum salutem, seu pauperes susten-  
tandos pertinent. Jus illud visitandi, quoad ea quæ sunt regi-

<sup>1</sup> Labbe, tom. XIII, col. 1288; tom. XIV, col. 699. — Cf. Gohard,  
tom. I, p. 800-820.

minis temporalis hospitalium, eo fundatur quod juxta priscos canones Episcopi sint executores omnium piarum dispositorum, tam in ultima voluntate, quam actis inter vivos expressarum, uti memorat idem concilium, cap. viii, sess. xxii<sup>1</sup>. Porro, in Galliis hospitia publica et montes pietatis sunt loca mere civilia, sub protectione principis sacerularis constituta, cum suis propriis administratoribus : nullum jus tribuitur Episcopis illa ex officio visitandi quoad regimen temporale.

620. — III<sup>o</sup> *Utrum et quatenus rectores bonorum ecclesiasticorum ea alienare valeant?*

I. Administratores Ecclesiarum et beneficiorum non possunt alienare donatione gratuita, quia non habent dominium, sed meram dispensationem bonorum Ecclesiae. « Episcopus et qui libet prælatus ecclesiasticus, ait Alexander III, cum sit rerum ecclesiasticarum procurator et non dominus, conditionem Ecclesiae meliorare potest, facere vero deteriorem non debet. » Cap. *Fraternitatem*, 2, DE DONATIONIBUS, lib. III Decret.

Excipiuntur donationes remuneratoriae in solutionem debiti gratitudinis, et eleemosynæ erogatae pauperibus quæ continentur intra fines meræ administrationis.

II. Alienare possunt contractibus onerosis, servatis conditionibus jure requisitis. Hæ autem conditiones sunt ut alienatio fiat ob justam causam, et de consensu superioris, scilicet S. Pontificis, vel Episcopi, vel demum prælati regularis, pro diversa ratione bonorum.

1<sup>o</sup> Justa causa alienandi est necessitas, aut saltem magna utilitas, quæ locum habet si Ecclesia, cuius juris sunt hæc bona, debitis oneretur; si non possit absque gravi incommmodo rei curam gerere; si urgeant pauperum miseriae quas charitas sublevare sollicitat, etiam detimento bonorum Ecclesiae.

2<sup>o</sup> Requiritur beneplacitum apostolicum, si alienanda sit res

<sup>1</sup> Cf. Reiffenstuel in tit. DE RELIGIOSIS DOMIBUS, lib. III Decretalium.

<sup>2</sup> Cf. Card. Petra, *Comment. in Const. V<sup>m</sup> Pauli II*, tom. V,

majoris momenti. Episcopus juramento promisit, intra ritus sue consecrationis, se nec daturum, nec venditum, nec oportinaturum quæ ad suam mensam pertinent, inconsulto S. Pontifice. Sunt aliae leges canonicae, que non solum bona mense episcopalibus, sed et cuncta alia pretiosa complectuntur. Hæc præcaeteris statuit Paulus II, Constitutione *Ambitiosæ* an. 1468 : « Omnia rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, « omne pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infestationem, præterquam in casibus a jure permisis, ac cum Ecclesiarum evidente utilitate, ac de fructibus et bonis quæ servando servari non possunt, hac perpetuo valitura constitutione præsenti fieri prohibemus... Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem, de bonis quidquam alienare præsumperit, alienatio, hypotheca, locatio... nullius omnino sint roboris; et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. (Cap. *Ambitiosæ*, DE REBUS ECCLESIAE NON ALIENANDIS. Extrav. comm.) Graves etiam poenæ eadem constitutione latæ sunt contra Episcopos, cæterosve prælatos, alienantes bona Ecclesiae inconsulto S. Pontifice.

Eadem disciplina extenditur ad regulares quorum privilegia, ea de re, suppressa sunt decreto S. Congregationis, jussu Urbani VIII, edito an. 1624. In hoc scilicet decreto « S. Congregatio... generalibus ac provincialibus capitulis vel congregacionibus, abbatibus, generalibus, et quibuscumque aliis superioribus regularibus cuiusvis ordinis, congregationis, societatis, vel instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum et honorum immobilium ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transferatur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium..., præterquam in casibus jure permisis, fieri perpetuo inhibet atque interdit absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia, in scriptis et

« gratis concedenda. » (Ferraris, v<sup>o</sup> *Alienatio*, art. v, n<sup>o</sup> 30.)

Decretum allatum afficit omnes congregations quovis titulo canonice erectas, sive vota simplicia habeant, sive etiam non habeant hujusmodi vota; instituta vero laicalia quamvis ad opus pium destinata, que Episcopus non exerit, non attingit. Conservatoria igitur virginum, societas religiosæ, seminaria clericorum, erecta auctoritate ecclesiastica, legi communis subduntur; confraternitates vero, collegia artificum, universitates, quæ auctoritas ecclesiastica non erexit a lege eximuntur, etiam si habeant oratorium in quo ipsis permisum sit celebrari divina officia. (Card. Petra, loco citato, sect. III, n<sup>o</sup> 25-47.)

621. — Duo oriuntur dubia circa Constitutionem Pauli II : 1<sup>um</sup> Quæ sint res quarum alienatio interdictum : 2<sup>um</sup> an lex hodieum vigeat et servari debeat in locis ubi introducta fuerit contraria consuetudo.

Ad 1<sup>um</sup> : lex prohibuit alienationes bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum. Nominis immobilium veniunt, non solum prædia, domus, agri et similia, sed jura et actiones ad immobilia, census et redditus annui, pecunia quæ ex immobilis boni venditione comparata fuerit ea conditione ut aliud emetur immobile. Cætera reputantur bona mobilia, utpote quæ nec fundo hæreant, nec bonum immobile repræsentent, ac de loco in locum moveantur.

Certum est Constitutionem Paulinam non derogasse juri quod ab antiquo Ecclesiis competit, alienandi fundum modici valoris, ad sensum cap. *Terrulas*, 53, Caus. XII, q. 2. Quæ autem immobilia parvi pretii dicenda sint, quæve mobilia pretiosa, non certis regulis determinantur, sed communi aestimatione pensandum est, habita ratione temporum et locorum. « Sane, ait « Fagnan, cum non sit jure definitum quæ terrulæ dicantur ex « qui valoris, id totum judicis arbitrio erit relinquendum, et « judex arbitrium suum moderabitur, inspecta conditione Ec- « clesiæ, an sit tenuis vel multum abundans, attenta qualitate

« temporis, locorum et rerum. » In cap. *Nulli*, n<sup>o</sup> 25 DE REBUS ECCL. NON ALIENANDIS. Item quid per mobilia pretiosa intelligi debeat, judicatur pro ratione materiae seu artis, ut gemma, et pictura famosa ; vel ratione antiquitatis.

Disputatur an prohibitio extendatur ad repudiationem legati. Certum quidem est rectorem Ecclesiæ non posse licite repudiare legatum sine gravi causa ; sed valebitne repudiatio facta absque assensu superioris ? Nobis probabilius videtur valere repudiationem sine prævio beneplacito Pape. Fatemur quidem jura incorporalia immobilibus æquiparari, et repudiationem esse hoc in casu renuntiationem rei pretio aestimabili ; inde vero non concluditur necessario huic renuntiationi applicandum esse textum Bullæ Paulinæ. Bulla interdixit alienationem rerum et bonorum Ecclesiæ; atqui res legatae, non sunt res Ecclesiæ quoadusque acceptatae fuerint. Legatum ante acceptationem manet in suspenso, et, si desit acceptatio, res non censemur fuisse unquam in dominio Ecclesiæ. Aliud certo est alienare, aliud non acquirere : ergo repudiatio legati non venit sub prohibitione facta per Constitutionem *Ambitiosæ*. Ita communis intelligi bullam asserit Card. Petra in suis commentariis Const. Vae Pauli, n<sup>o</sup>s 74-77. Tom. V. pag. 224. Ita Reiffenstuel, in tit. *de His quæ fiunt a Prælato sine consensu capituli*, n<sup>o</sup>s 35-49 ; et alii plures quorum opinio est satis fundata, ut in praxi servari possit.

Alia est difficultas, utrum et quatenus pecunia comprehensatur in prohibitione generali alienandi bona ? Præter casum supra expositum, quo scilicet pecunia comparata fuit ex venditione rei immobilis ut aliud immobile loco prioris ematur, alii casus sæpe eveniunt, de quibus dubitari potest : scilicet 1º si pecunia destinetur ex intentione donatorum ad acquisitionem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ; 2º si pecunia collocata sit apud bancarios, vel in societatibus commercialibus, ut possit exinde retrahi venditione titulorum, si forte opus sit, et interea fructus annuos referat.

Dubia resolvi debent ad mentem legis. In priori casu videatur pecuniam non posse distrahi ad alium finem absque beneplacito apostolico, si quidem pecunia data ad emendum immobile debet locum tenere ipsius immobilis quod representat. In posteriori casu arbitramur pecuniam alienari posse, si reipsa reposita sit ad tempus in societate commerciali, non intentione illam servandi ut bonum stabile, sed ad usum, quando postulaverit necessitas. Omnes id certe admitterent si pecunia ad usum destinata collocata fuerit in arca donec accidat occasio ea utendi; cur non pari ratione admittatur, si eadem pecunia fuerit ad tempus utiliter reposita in commercio, ut fructus interea producat? E contra, si pecunia collata sit, tanquam bonum stabile referens census annuos, quemadmodum communius fit in societatibus religiosis quæ præcipuum partem suorum bonorum ita disponunt, alienari non potest aliter quam servatis regulis juris. Manifestum est res Ecclesiarum et communitatum notabiliter deteriorari posse venditione hujusmodi actionum, censum et jurium, si fiat imprudenter: quamobrem, sive attendatur ad textum sive ad finem legis, concludetur titulos censum seu *actionum* vel *obligationum* quæ, v. g., comparatae sunt in societatibus viarum ferrearum, reputari bonum mobile pretiosum de quo agitur in Bulla Pauli II.

622. — Ad 2<sup>um</sup>: Bullam Pauli II servatam non fuisse in pluribus locis omnes norunt; de quo hæc dixit Reiffenstuel in tit. DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS, n° 32: « Notat En-« gel, presertim in Germania et locis ab Urbe remotis, ubi « difficilis est aditus ad Papam, dictam Extrav. receptam non « esse, saltem non quoad hoc ut etiam inferiores prælati Epis-« copis subjecti teneantur in hujusmodi alienationibus consen-« sum Papæ requirere, et non sufficiat consensus Episcopi. « Quinimo eamdem Extravagantem in multis locis non esse usu « receptam, saltem in toto rigore, ac presertim quoad penas « et locationem ultra triennium, asserunt etiam Covarruvias, « Navarius, Sylvester, Engel, Pirrhing, cum pluribus aliis quos

« citant. Unde in praxi attendantur particulares locorum con-« suetudines, legitime præscriptæ. »

Episcopi Gallie ante concordatum exquirebant assensum S. Pontificis pro alienatione bonorum sui tituli, nisi essent modici valoris; at, juxta pervetustam et immemorabilem consuetudinem, concedebant, non habito recursu ad Sanctam Sedem, alienationem fieri bonorum quæ pertinebant ad Ecclesiæ inferiores, vel ad confraternitates, aliave instituta ecclesiastica suæ jurisdictionis. Si quandoque, in rebus majoris momenti, postulabant beneplacitum apostolicum, id agebant ad pleniorum confirmationem alienationis, non ad contractus validitatem<sup>1</sup>. Euudem morem retinuere Episcopi a tempore concordati ad hodiernam ætatem, his rationibus innixi: 1<sup>o</sup> Consuetudinem in suis regionibus a tempore immemorabili servatam esse; 2<sup>o</sup> versari circa rem natura sua præscriptibilem, cum nihil, sub eo respectu, obstet quominus apponantur ad regimen bonorum temporalium ecclesiasticorum principia generalia juris, et aliunde nulla lex canonica e Sancta Sede prodierit ad illud prohibendum<sup>2</sup>; 3<sup>o</sup> militari rationem gravem in favorem ejusdem consuetudinis, ob varia incommoda quæ persæpe inducit necessitas adeundi Sanctam Sedem e regionibus etiam longe dissitis, in negotiorum genere quæ expetunt, data opportuna occasione, celerem conclusionem.

Plures doctores tenent rationem habendam non fore consuetudinis in hac materia, et allegant decisionem Sanctæ Congregationis quam respondisse asserunt « Non usum dictæ consti-

<sup>1</sup> Id testantur canonista versati in disciplina Galliarum. Requirebatur beneplacitum S. Pontificis pro alienatione bonorum Ecclesiæ, et Congregationum, quæ erant sub jurisdictione immediata S. Sedis.

<sup>2</sup> Est Constitutio Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, an. 1641, quæ interdicit alienationes officiorum et jurium Sanctæ Sedis, aliârumve Ecclesiæ inferiorum, etiam sub prætextu quod Bullæ Apostolicæ non sint publicatæ vel usu receptæ, aut contrario usu abrogatæ. At hac ipsa Constitutio præservat præscriptionem centenariam concurrentibus de jure requisitis. (Fagnan, in cap. *Consuetudines, de Consuetudine*, n° 40.)

« tutionis allegabilem non esse, et absque beneplacito alienationes fieri non licere. » (Ferraris, *vº Alienatio*, art. *v*, n° 11; Card. Petra, loco citato, sect. *ii*, n° 65; sect. *iii*, n° 37.) Benedictus XIV monet Episcopos quod si « in sua diœcesi deprehendant antiquam consuetudinem, sacris canonibus, atque apostolicis constitutionibus contrariam, caveant ne illam synodali robore fulciant; sed priusquam aut eam divellere, aut confirmare aggrediantur, Sedis Apostolicæ sensum exquirant, ejusque responsum expectent. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 12.) Advertas tamen Benedictum XIV non vituperare, in illo textu, Episcopum qui sequitur in praxi consuetudinem sua Ecclesiae; illum solummodo monet ne eamdem consuetudinem tentet *statutis synodalibus fulcire*, quod semper est præcavendum quando agitur de consuetudine inducta contra jus commune. (N° 168.)

Si admittatur valere consuetudinem, sicut communiter admissum fuit in Galliis ad usque hodierna tempora, remanebit nihilominus necessitas adeundi Episcopum pro alienationibus bonorum Ecclesiarum, communitatum et confraternitatum quæ subsunt jurisdictioni episcopali. Jurisdictio quam Episcopus in omnem diœcesim obtinet et administratio quam institutio apostolica ei demandavit in temporalibus, non secus ac in spiritualibus, requirunt ut omnes communitates ecclesiasticae, ne excepto quidem capitulo Ecclesiae cathedralis, obsequantur statutis ea de re conditis ab Episcopo.

623. — III. Locationes ad tempus excedens triennium iisdem regulis subjacent ac alienationes, eodemque jure nullæ et irritæ declarantur, nisi factæ sint de consensu Sanctæ Sedis, sive de bonis communitatum cleri sæcularis, sive de bonis communitatum regularium agatur. Quod mox dicebamus de alienatione bonorum, eadem ratione dici etiam debet de locatione; scilicet legi communi fuisse derogatum consuetudine. Re quidem vera, diuturna immemorabilisque consuetudo in pluribus regionibus invaluit, et universim servatur in Gallia, locandi bona eccl-

siastica ad novem, vel etiam ad decem et octo annos, non requirit prius beneplacito apostolico, sed solum consensu Ordinarii.

De Regularibus, an et ipsi a diuturno tempore consueverint, in regionibus extra Italiam constitutis, alienare bona sine beneplacito apostolico; an habeant super hoc indulta peculiaria, nihil dicendum duximus, siquidem haec non satis nobis perspecta sunt. Id tamen animadvertisimus S. Congregationem Regularium providisse in approbatione constitutionum nonnullarum recentiorum congregationum Monialium, ut reservaretur beneplacitum apostolicum.

### § 2. De administratione bonorum ecclesiasticorum juxta leges civiles<sup>1</sup>.

624. — Leges civiles multa præscriperunt, ex veteribus edictis regiis et curiarum decisionibus ut plurimum deprompta, de modo servando in administratione bonorum parochiarum, seminariorum, capitulorum, Ecclesiarum cathedralium et sediū episcopaliū, quæ nosse necessarium est iis omnibus qui regimini horum institutorum præsunt, quamvis hujusmodi ordinationes minime pertineant ad jus canonicum.

#### 1º De regimine civili bonorum parochialium.

625. — Bona parochialia administrantur consilio virorum e parochia selectorum, quod *fabrica* nuncupatur. Inquirendum habemus: 1º ubi constituenda sit fabrica; 2º quid sit consilium fabricæ, et quid collegium matriculariorum; 3º quæ jura et obligations utrique assignentur; 4º quando conventus suos habeant et quis ordo in his conventibus servandus; 5º quas demum

<sup>1</sup> Leges civiles et jurisprudentiam pro administratione bonorum Ecclesiasticorum explicant Affre, *Traité de l'administration temporelle des paroisses*, 1 vol. in-8; — Dieulin, *Guide des curés*, 2 vol. in-8; — Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, 3 vol. in-8; — de Champeaux, *Code des fabriques et de l'administration paroissiale*, 2 vol. in-8, ed. an. 1862. Multa insuper reperiuntur in fasciculis diarrii Fabricarum, *Journal des fabriques*.

regulas lex statuerit ad gestionem bonorum, et ad expedienda negotia majora, quæ ad Ecclesiam parochialem attinent.

626. — I. Fabrica constitui debet in *Ecclesiis parochialibus* et in *capellis vicarialibus*, non vero in annexis, et multo minus in *capellis confraternitatum*.

Quid sit *parochia* diximus alibi (nº 229) : leges civiles, quas in eo Episcopi servari volunt, requirunt ut in singulis parochiis constituatur fabrica.

*Capella vicarialis*, quæ scilicet erecta est a communitate civili (*la commune*) in gratiam incolarum, qui ob nimiam locorum distantiam difficilius adeunt Ecclesiam parochialem, remanet subordinata in spiritualibus, cum suo sacerdote, vigilantiæ ac juribus parochi, sed in temporalibus suas res sibi habet ac regit independenter a fabrica parochiæ intra cuius fines existit : quamobrem habere et ipsa debet fabricam, iisdem regulis constitutam ac fabrica parochiæ. Edictum 12 januarii an. 1825 statuit art. 1 : « Dans toutes les Églises ayant titre « de cure, de succursale, ou de chapelle vicariale, dans les « quelles le conseil de fabrique n'a pas été régulièrement renoué..., il sera procédé à une nouvelle nomination des fabriciens, de la manière voulue par l'art. 6 du décret du 30 décembre 1809. » Communitas civilis quæ hujusmodi capellam obtinuit, tenetur providere habitationi et honestæ sustentationi presbyteri obeuntis ibidem munus sacri ministerii, nec non sumptibus cultus publici; fideles autem qui degunt in parte territorii eidem capellæ assignati, non tenentur contribuere partem impensarum Ecclesiæ parochiæ. Presbyter cui capella committitur, non præfert titulum parochi, nec rectoris, aut desservitoris, sed capellani, seu etiam *vicarii capellani*; redditus fixos sui muneris recipit a communitate, et a gubernio partem indemnitas vicariis assignatam<sup>1</sup>.

*Annexa* dicitur capella auctoritate Episcopi, cum assensu

<sup>1</sup> « Le titre de *vicaire* de la cure ou succursale, accordé à un chapelain qui dessert une chapelle, donne droit au titulaire de recevoir l'indem-

gubernii, erecta ad petitionem quorundam privatorum qui semetipsos obligant ad providendum omnibus impensis ejusdem capellæ, et cultus publici in ea celebrandi. In eo differt a *capella vicariali*, de qua modo, quod dum impensa capellæ vicarialis omnibus incolis illius districtus incumbunt, impensa Annexæ eos solum afficiunt qui voluntarie suas subscriptiones dederunt : præterea subscriptores non exinde solvuntur ab onere conferendi in sumptus Ecclesiæ parochialis. Annexa non habet fabricam legalem : possunt quidem fieri donationes et fundationes in illius gratiam, quæ ad illius commoda solum destinantur ; verum has donationes seu fundationes acceptari necesse est a fabrica Ecclesiæ parochialis, quæ bona Annexis data gerit in earum utilitatem. Episcopus potest quosdam deputare qui curam ordinariam gerant bonorum Annexæ, et rationem suæ gestionis reddant, salvo jure fabricæ.

*Capella confraternitatum* non sunt capaces acquirendi, nec agendi in foro civili, quia nulla lege constituuntur in publica instituta. Non possunt proinde habere fabricam ; et si quid eis donetur per testamenta, vel per actus inter vivos, vi carebit dispositio coram tribunalibus, nisi forte donatum censeatur fabricæ Ecclesiæ parochialis, ad quam pertinent confraternitatis<sup>1</sup>.

627. — II. Fabrica est consilium virorum electorum juxta regulas lege civili præfinitas, ad deliberandum et statuendum de gestione bonorum temporalium parochiæ, vel capellæ vicarialis rite erectæ.

Fabrica constat novem consiliariis in parochiis quinque milium incolarum, et quinque solum consiliariis in parochiis minoribus ; in utroque autem casu parochus et præfectus urbis

« nité de 350 fr., allouée aux vicaires sur les fonds de l'État. » Vuillefroi, v<sup>e</sup> *Chapelle*.

<sup>1</sup> Conditiones requiras ad creationem civilem capellæ vicarialis et annexæ expositas habemus passim apud scriptores qui de fabricis disseruerunt. Vuillefroi, *Traité de l'administration du culte catholique*, v<sup>e</sup> *Annexe, Chapelle*. Gaudry, tom. II, n<sup>o</sup> 576-577 ; — de Champeaux, *Code des fabriques*, tom. I, *Introduction*, xxii-xxxv.

(*le maire*) in consilium advocantur cum jure suffragium defendi. Si praefectus urbis non sit catholicus, repræsentatur per illum sibi in regimine civitatis adjunctum, vel hujus loco, per dium e concilio municipii.

Conditiones ut quis eligi possit in consiliarium fabricæ sunt : 1<sup>a</sup> ut sit catholicus ; 2<sup>a</sup> ut domicilium reale habeat intra fines parochiæ ; 3<sup>a</sup> ut habeatur inter proceres loci. Hoc tamen ultimum non videtur requiri sub pœna nullitatis, et dimittitur arbitrio electorum, ut quem idoneum ad id officium judicaverint admittant, modo sit catholicus et certam sedem habeat in territorio parochiæ. Nihil ex parte legis obstat quominus assumatur aliquis e clero, vel e vicariis parochiæ; at in usu est ut fabrica ex laicis præsertim componatur.

Quando fabrica parochialis prima vice componitur, vel priori dissoluta<sup>1</sup>, altera formatur, delectus consiliariorum fit partim ab Episcopo, partim a Praefecto regionis (*le préfet*); ita tamen ut Episcopus quinque consiliarios aut tres assumat, pro ratione locorum. Fabrica, semel rite constituta, renovatur per partes singulis trienniis, electione juxta formas consuetas celebrata, vocatis omnibus quibus jus eligendi competit, consiliariis scilicet qui supersunt, parocho et magistratu civili. Electio fit pluralitate suffragiorum. Ex decisione data : « Pour la régularité de l'élection, il faut que les fabriciens qui y prennent part soient au nombre de quatre dans les conseils des paroisses de cinq mille âmes, et au nombre de trois dans les autres paroisses. » (*Avis du conseil de l'adm. des cultes*,

<sup>1</sup> Consilium fabricæ dissolvitur, 1<sup>o</sup> demissione voluntaria consiliariorum; 2<sup>o</sup> auctoritate ministri Principis, juxta art. 6 decreti anni 1825 : « Sur la demande des évêques et l'avis des préfets, notre ministre... pourra révoquer un conseil de fabrique, pour défaut de présentation de budget... ou pour toute autre cause grave. » (Cf. *Code des fabriques*, tom. I, chap. 1<sup>er</sup>, sect. 1<sup>re</sup>. — *Révocation du conseil. — Destitution. — Révocation individuelle.*) — Dissolutum præterea censetur consilium, si omissæ fuerint electiones per tempus jure præfixum, adeo ut nulla supersit pars rite electa. Necesse est tamen ut pronuntiatur, in illo casu, dissolutio fabricæ.

du 7 août 1841.) Si alter ex electis decebat, aut officium dimittat, successor ipsi designatur in sessione proxime futura consilii, ea lege ut assumptus munere fungatur solummodo per tempus quo remanere debebat ille cuius locum tenet. Quando consilium neglexit electiones facere temporibus præfixis, jus eligendi defertur ad Episcopum, ex præscripto edicti 12 jan. 1825 : « Si un mois après les époques indiquées, le conseil de « fabrique n'a pas procédé aux élections, l'Évêque diocésain « nommera lui-même. »

Plures inde concludunt Episcopum posse omnes consiliarios fabricæ eligere, si per sexennium fabrica neglexerit electiones ad præscriptum legis renovare. Potest utique, transacto primo triennio, dimidiam partem consiliariorum eligere, supplingo negligentiam fabricæ; id expressis verbis statuit edictum 1825. Si vero non utatur jure suo, et aliud triennium elapsum sit quin etiam hac vice fabrica de electione curaverit, non est cur episcopus non valeat alteram partem assumere, et consequenter integrum simul consilium renovare.

Multi aliter opinantur : asserunt nempe id solum fuisse concessum Episcopo ut supplet, loco fabricæ, electiones partiales quas ipsa fabrica prætermisit, non vero ut fabricam constituat, quando consilium deficit, adeo ut nulla amplius fabrica subsistat; atqui, inquit, si elapsum sit sexennium, nulla jure superstes fabrica; est constituenda ex integro, quod fieri non potest, ad præscriptum legis, nisi ab Episcopo simul et a præfecto. Consultius agit Episcopus rem constituendo una simul cum præfecto<sup>1</sup>.

628. — III. Consilium fabricæ eligit sibi præsidem et secretarium, singulis annis, in sessione quæ dominicam paschalem proxime sequitur.

<sup>1</sup> Cf. Affre, tit. 1, chap. II, *Renouvellement de la fabrique*; — Gaudry, t. III, n<sup>o</sup> 987, 999, 900. — Sententia contraria propugnatur in dissertatione quam inseruit diarium *Journal des fabriques*, tom. IV, pag. 245 et seq.

Controvertitur apud jurisperitos utrum parochus eligi possit in praesidem, et eadem quæstio movetur de praefecto urbis.

Probabilis videtur parochum eligi posse, siquidem lex nul-  
libi statuit illum ab officio praesidis excludi; incapacitates au-  
tem debent exprimi in lege, verbis explicitis. Nonnulli arbit-  
rantur parochum excludi, quia mens legislatoris fuit commit-  
tere negotia temporalia parochiæ consilio laicorum quo tem-  
peretur auctoritas parochi, et non sufficienter cautum esset,  
si parochus ipse, quatenus præses, moderaretur consilium; et  
in casu quo opiniones in partes diversas distrahuntur, haberet  
suffragium præponderans. Præterea, articulus 4 decreti 1809  
assignat secundum locum parocho, ad dexteram praesidis;  
unde colligere fas est parochum assumendum non fore in offi-  
cium praesidis.

Hæc ratiocinia, ex scopo et ex articulo legis deprompta, non  
probant. Articulus 4<sup>us</sup> assignat locum parocho, honoris causa,  
ut certam sedem in conventu habeat quando non alio titulo  
honestatur: quod vero de mente legislatoris dicitur, non suffi-  
cit ad instituendum inhabilitatem quæ nec in ipsa lege enun-  
tiatur, nec ex articulis legis necessario consequitur. Valet  
igitur electio parochi; tametsi ultiro fateamur multo magis  
expedire ut alter assumatur ad munus praesidis<sup>4</sup>. Certius  
exinde vitabuntur conflictus ex illorum parte qui non admit-  
tunt sententiam quam ut probabiliorem ampliinati sumus;  
præterea parochus minus implicabitur negotiis temporali-  
bus et difficultatibus quæ haud raro molestias afferunt.

629. — IV. Conventus fabricæ habentur temporibus lege  
præfinitis, scilicet quater per annum: 1<sup>a</sup> dominica post Pas-  
cha, 1<sup>is</sup> item dominicis diebus mensium julii, octobris et ja-  
nuarii. Fas non est consiliariis suos conuentus tenere extra  
tempora assignata, nisi extraordinarie convocentur ab Episcopo,  
vel a Præfecto, aut de alterutrius licentia.

<sup>4</sup> *Journal des fabriques*, tom. I, pag. 25; IV, pag. 172; — Affre,  
chap. iii, *Composition du conseil*; — Gaudry, loc. cit., n° 1007.

Interesse necesse est majorem partem consiliariorum, ut  
conventus valeat deliberare. Cuncta definiuntur pluralitate suf-  
fragiorum; si vero æqualia sint in partes diversas vota, præses  
habet suffragium præponderans, quod nempe duobus æquiparatur. Omnes conclusiones referuntur in tabulas authenticas, et ab  
iis qui præsentes adsunt subscriptione signantur; quod valde  
notandum, nam si forte locus deinceps detur processui judiciali,  
deferenda erunt coram tribunali scripture authenticæ, quibus  
certo constet de causis tractatis atque definitis in consilio fabricæ.

630. — V. Jura et onera fabricæ explicant art. 1 et 37 de-  
creti 1809. Art. 1: « Les fabriques sont chargées de veiller à  
« l'entretien et à la conservation des temples, d'administrer les  
« aumônes et les biens, rentes et perceptions autorisées par  
« les lois et divers règlements, les sommes supplémentaires  
« fournies par les communes, et généralement tous les fonds  
« qui sont affectés au service du culte, afin d'assurer cet exer-  
« cice et le maintien de sa dignité dans les églises auxquelles  
« elles sont attachées, soit en réglant les dépenses qui y sont  
« nécessaires, soit en assurant les moyens d'y pourvoir. » Art.  
37: « Les charges de la fabrique sont : 1<sup>o</sup> de fournir aux frais  
« nécessaires du culte, savoir : les ornements, les vases sacrés,  
« le linge, le luminaire, le pain, le vin, l'encens, le payement  
« des vicaires, des sacristains, chantres, organistes, sonneurs,  
« suisses, bedeaux et autres employés au service de l'église,  
« selon la convenance et le besoin des lieux ; 2<sup>o</sup> de payer l'hono-  
« raire des prédicateurs de l'Avent, du Carême et autres solen-  
« nités ; 3<sup>o</sup> de pourvoir à la décoration et aux dépenses relatives  
« à l'embellissement intérieur de l'église ; 4<sup>o</sup> de veiller à l'en-  
« tretien des églises, presbytères et cimetières<sup>4</sup>, et en cas d'in-  
« suffisance des revenus de la fabrique, de faire toutes les dili-  
« gences nécessaires pour qu'il soit pourvu aux réparations et  
« reconstructions. »

<sup>4</sup> Cura cœmeteriorum videtur, ex legibus recentioribus, demandata mu-  
nicipiis. Cf. tamen Gaudry, tom. II, p. 559, n° 747.